

F.K.
117
93.

I. M. N. D.

DE

MUSICA,

VALEDICTIONIS

LOCO,

QVATUOR SCHOLÆ NOSTRÆ

DISCIPULI,

& in his

Duo Chori Symphoniaci Præfecti, qui Præcentores

veteribus erant, & unus Adjunctus, Succentorem

dixeris,

Cras DEO benignè annuente,

(erit XI. Septembris,)

FINITIS SACRIS MATUTINIS,

publicè verba facturi sunt:

Quibus

DNN. PATRONORUM, FAUTORUM

& AMICORUM

gratiosam præsentiam, & benevolam audientiam

officiose procatur

JONAS GELENIUS,

CRUCIANI RECTOR.



DRESDÆ,

LITERIS VIDUÆ ET HÆRED. MELCH. BERGENII





Undum DEI canticum esse,
augustissimi Patrum divi Augustini
vox est; & verissima quidem: ille enim
Muscorum omnium ut antiquissimus,
ita sine controversia princeps est &
Archimuscus, cujus sapienti nutu nu-
merosissimus universi concentus con-
genitas sibi harmoniæ leges perpetuum servat, & ab incunabulis instilla-

tam numerorum retinet suavitatem. Quemadmodum enim sonorum discordia bene temperata auribus musicam reddit suavissimam; ita etiam omnigena in hoc mundo contrariorum varietas & discordia, divino æterni Opificis ingenio disposita & suis absoluta numeris, reddit concordissimam & suavissimam oculis harmoniam, adeo ut jure optimo idem Antistitem Antistes, hanc musicam naturæ totius concordiam intuens, pulcherrimum quoddam *carmen* ac *epigramma*, quod ex quibusdam quasi antithetis honestavit DEUS, mundum alicubi appellet. Quæ autem hæc mundi sit Musica, quis universi concentus, qui oculis hætenus non conspexit, percipiat auribus à Sapientissimo Romanorum his verbis descriptam: *Putæ, inquit, o Marcia, nascenti me tibi venire in consilium: intratura es in urbem, Diis hominibusq; communem, omnia complexam, certis legibus æternisq; devinctam, indefatigata cælestium officia volventem. Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis uno sidere omnia impleri, solem quotidiano cursu diei noctisq; spatia signantem, annum in æstates hyemesq; æqualiter dividentem. Videbis nocturnam lunæ successionem à fraternis occurribus lenè remissumq; lumen mutuantem, & modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisq; mutabilem, semper proximè dissimilem. Videbis quinque sidera diversas agentia vias, & in contrarium præcipiti mundo nitentia. Miraberis collecta nubila & cadentes aquas, & obliqua flumina & cæli fragorem. Cum satiatis spectaculo supernorum in terram oculos dejeceris, excipiet te alia forma rerum, aliterq; mirabilis; hinc camporum in infinitum patentium fusa planities; hinc montium magnis & nivallibus surgentium jugis erecti in sublime vertices: dejectus fluminum & ex uno fonte in orientem occidentemq; defusi amnes, & summis cacuminibus nemora nutantia & tantum silvarum cum suis animalibus aviumq; concentu dissono. Cum primis autem decantatissima est mira illa & inexplicabilis orbium cælestium Musica, quam non tantum è prisca Philosophorum familia Pythagoras, Plato; sed & complures alii gravissimi rerum æstimatores in motu atq; impulsu orbium imparium acuta cum gravibus temperante positam statuere; fieri non posse existimantes, ut cum silentio*

Seneca Con.
fol. ad Marc.
c. 18.

lentio cursus cœli stelliferi, vel reliquorum globorum distincta
 intervallis fieret conversio. In his verò Judæorum disertissimus
 Philo verbis notatu dignissimis hanc Musicam describit: *Cœlum*, Libro, quod
omnia im-
mittantur à
DEO.
 inqviens, *perpetuo concentu suorum motuum harmoniam reddit sua-*
visimam, quæ si posset ad aures nostras pervenire, in nobis excitaret
impotentes amores & insanum desiderium, quo stimulati rerum ad-
victum necessariorum oblivisceremur, non pasti cibo potuq; per fau-
ces demisso, sed quemadmodum immortalitatis candidati divinis con-
summatae Musicae cantibus, quales cum Moses, extra corpus raptus,
audiisset, fertur quadraginta dies, totidemq; noctes, nec panem, nec
aquam gustasse. Itaq; cœlum instrumentum Musicae archetypum vi-
detur mihi non propter alia elaboratum, quàm ut rerum parenti hy-
mini scitè decantarentur. Cum Philone concinit præter jam lau-
 dados Philosophos & Ciceronem, Anitius Severinus Boetius, (a) Lib. I.
de Mus. c. 2.
 Isidorus (b) & non pauci numero alii; quin & è venerando Patrum (b) lib. 3. E-
tym. c. 16.
 choro B. Ambrosius (c) non alienus ab hac videtur sententia, in (c) Præfat.
Comment.
in Psalm.
 qua convellenda totus licet sit Aristoteles (d), nihil tamen absur-
 di eam habere magnus seculi nostri Varro & eruditorum quon-
 dam in Batavis facile princeps Vossius (e) affirmat. Sed aridet
 magis Viri infanda atqve stupenda eruditione celeberrimi Atha-
 nassii Kircheri hac de Musica opinio, quam haud abs re fuerit hîc (d) lib. 2. de
cœlo, c. 9.
 adduxisse, ita verò ille: (e) lib. de
Musica c. 4.
§. 3. esse harmonicum quendam cœlestium
 corporum concentum æterno illo & infinitæ suavitatis harmonia di-
 gnissimum, tum Sacrarum literarum, tum Theologorum Philosopho-
 rumq; omnium unanimi consensu receptum est, numeris tamen vix (e) Artis
magnæ Con-
soni & Dis-
soni lib. 10.
§. 2.
 explicabilem, cum inenarrabilem illum cœlestium corporum concen-
 tum oculus non viderit, nec auris audiverit: quantum tamen huma-
 ni ingenii nostri imbecillitas & caliginosus mentis nostræ intuitus ca-
 pere potest, dicerem profectò hanc cœlorum harmoniam non in sensi-
 bili illa cœlestium corporum collisione, sed in nullo alio, nisi in admi-
 randa dispositione & proportionem quadam ineffabili in unionem con-
 spirante consistere, quæ corpora ita sibi invicem correspondent, ut sub-
 lato aut mutato uno, merito harmonia totius pereat. Quid de ele-
 mentari dicam Musicâ? nisi enim quatuor horum corporum con-
 trarietates diversasq; potentias harmonia quædam conjungeret,
 fieri sanè non posset, ut in unum corpus ac machinam conveni-
 rent: hinc veteres cum elementarem compagem ex concordia
 quadam discordia constitutam viderent, miramq; quandam di-
 versarum qualitatum temperiem deprehenderent, elementa te-
 trachordo compararunt, quod Apollinis plectro percussum, eum
 concentum & Symphonismum præstaret, quem quotannis in ge-
 neratione rerum aliorumq; effectuum productione cum admira-
 tione experimur: simul enim ac digiti illi radiosi Apollinis illud
 pulsaverint incitaverintq;, mox admirabilem tetrachordum hoc
 elementare concentum exhibere, consona dissonis ita sociantem,
 ut res prorsus dispares contrariæq; in unum tamen compositum
 mirâ quadam amicitia & concordia concurrant. Sed omisâ alia-
 rum rerum symphoniâ, si à Megacosmo ad Microcosmum homi-
 nem, in quo sub brevi compendio, quicquid diffusè antea fecerat,
 divina expressit benignitas, fecerimus transgressum, nonne fate-
 ri ne-

FK 11e 304

ri necesse est, eum musica quadam ratione à summo rerum Opifi-
ce conditum fuisse atq; constructum? Quid est enim, quod incor-
poream rationis vivacitatem corpori misceat, nisi quædam co-
aptatio & veluti gravium leviumq; vocum quasi unam consonan-
tiam efficiens temperatio? quid ipsas inter se animæ partes, quæ
(ut Philosopho placet) ex rationali irrationaliq; conjuncta est, so-
ciat? Jam verò mira illa pulsuum differentia in corpore humano,
annon exactissimum totius Musicæ artificium imitatur, sive inter-
valla, sive tempus, sive intensiorem remissionemve spectes? Cum
itaque omnia certo pondere ac mensurâ condita, & vel numerosa
sint, vel numero delectentur, non mirum, si animus aurium nun-
cio naturalem in se retinet vocum mensuram, quæ, si quando per
aures, tanquam animæ vestibula illapsa est, diatonica chronicis,
hæc enarmonicis modulorum teretismatis miscendo, insolito
quodam titillationis lenocinio mentem furripit, & miti quodam
quasi dominatu sibi vendicat. In finitus essem, si omnes & singulas
Musicæ laudes, quibus infiniti ferè bonorum auctorum libri re-
fertur, percensere vellem; sufficit impræsentiarum nobis levi-
ter monstrasse, originem ejus cœlestem esse, & per universum hoc
latisimè diffusam majestatem. Reliqua, quæ de præclarissimæ
hujus artis sive antiquitate, sive dignitate, sive etiam utilitate dici
solent, pertextent pro ingenii sui modulo Oratores nostri, Juvenes
industrii, & Musices apprimè gnari, eademq; opera Scholæ nostræ
vale dicent, postquam ea bonis in literis atque artibus jecerunt
fundamenta, ut reliqua studiorum Academicorum moles iis felici-
tè jam superstrui possit. Ita verò invicem partiti sunt operas:

- I. **Gottlob Selbmann** / Palæo-Dresd. non tam ex verò, quam ingenii periclitandi gratia Musicam reprehendere conabitur.
- II. **CHRISTOPHORUS Rannewurff** / Rudested. Thuringus, Chori hætenus primi Præfectus, objecta ἐγκλήματα diluet, & de Musices antiquitate atque dignitate differet.
- III. **CHRISTIANUS THEODORUS PEZOLD**, Palæo-Dresd. ejusdem Chori Adjunctus, Musicæ jucunditatem atque utilitatem demonstrabit.
- IV. **JOH. GEORGIUS SCHREGER**, Pirnensis, Chori II. Præfectus, Musicam Doctrinæ studiosis παρέργον, non ἔργον esse debere docebit, & tam suo, quam reliquorum Condiscipulorum nomine Venerandis & Amplissimis Dnn. Scholæ Patronis ut & Præceptoribus pro multifariis beneficiis grates exsolvet, & vale dicet.

Ad quod Acroama discedentium ut Domini Patroni, Fautores atque Amici, si per graviora licebit negotia, die crastini, finitis Sacris matutinis conveniant, eosq; honorificâ præsentia suâ & auscultationis beneficiô dignentur, est quod humili pietate atq; debitâ obfervantiâ rogo. VOS verò, ô mei, ite felices! felices vivite! redite felicissimi! Supremum NUMEN actiones vestras adspirando præveniat, & adjuvando prosequatur, quò cunctæ operationes vestræ ab ipso semper incipiant, cœptæq; per ipsum finiantur.

Ita fiat! P. P. Dresdæ IV. Idus Septembr.

A. M. DC. LXXXIX.



ULB Halle 3
001 581 821

VDTF

110



... Indum Dei canticum esse,

2
A

STRAB

sciticos

Seneca Con-
fol. ad Marc.
c. 18.

MURUM

ambros



tam num
sonorum
visiman
rietas &
absoluta
harmoni
hanc mu
mum qv
fi antithe
Qvæ aut
oculis ha
mo Rom
cia, nasc
Diis hom
aternalisq;
Videbis il
pleri, sol
num in a
nam lun
men mut
tem, acc
lem. V
trarium
cadentes
tatos spe
te alia fo
nitum pa
bus surge
& ex un
mis cacu
animalib
cantatisf
fica, qv
goras, Pl



Patrum divi Augustini
sima quidem: ille enim
nium ut antiquissimus,
versia princeps est &
cujus sapienti nutu nu
niversi concentus con
armonia leges pepe
ab incunabulis instilla
Qvemadmodum enim
us musicam reddit sva
undo contrariorum va
ingenio disposita & suis
m & svavisissimam oculis
m Antistitum Antistes,
m intuens, pulcherri
vod ex quibusdam qv
um alicubi appellet.
universi concentus, qv
auribus à Sapiientissi
: Puta, inquit, ô Mar
intratura es in urbem,
mplexam, certis legibus
ium officia volventem.
is uno sidere omnia im
; spatia signantem, an
ntem. Videbis noctur
bus lene remissumq; lu
toto ore terris imminen
emper proxima dissemi
gentia vias, & in con
raberis collecta nubila &
eli fragorem. Cum sa
culos dejeceris, excipiet
hinc camporum in infi
ntium magnis & nivali
tices: dejectus fluminum
defusi amnes, & sum
ntum silvarum cum suis
Cumprimis autem de
orbium cœlestium Mu
phorum familia Pytha
simi rerum æstimatores
in motu atq; impulsu orbium imparium acuta cum gravibus tem
perante positam statuere; fieri non posse existimantes, ut cum si
lento

LETTER VIBRE ET HARED. MICH. BRENCH

